

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

Disputatio continens positiones aliquot miscellaneas.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

potest. Unaquæque res horam & tempus suum habet, Ecclef. 8. v. 3. 4. 5. 6. 7. Secundum verbum est potestas, &c. & tempus & iudicium cognoscet cor sapientis. Quia omni volito est tempus, & iudicium. Quia malum hominis malum super eum. Quia nescit, quod futurum est, &c. Nullus homo est, qui potestatem habeat in spiritum, ut prohibeat spiritum, &c.

Solius ergo Dei est omnia facere quæ vult & intendit? quia est solus sapiens 1 Timoth. 1. v. 17. Jud. v. 25. Homines vero omnes etiam sapientes, comparatè ad illum sunt brutales Proverb. 31. v. 2. Psal. 37. v. 22. Solus etiam Deus dicitur *ὁ δυνατός* Luc. 1. v. 49. & *μὴ ὁ δυνατός* 1 Timoth. 6. v. 15. Homo vero comparatè ad Deum vanitas, nihil. Et Psal. 62. v. 9.

Tantum vanitas sunt filii hominum, mendacium Filii viri, in stateris si ascendant, Leviores sunt vanitate pariter, 1 Sam. 2. v. 9. Quia non in fortitudine roborabitur vir.

4. Ex eo, quod Deus aliquod impedimentum possit sive *ἔσθ* sive *ἔξω* obijcere aut immittere; usum scientiæ, aut potentiæ, aut fortitudinis auferre aut sistere, ipso illo instanti quo agendum est, Psal. 76. v. 5. 6. Spoliati fuerunt fortes corde, dormitaverunt in somno suo, & non invenerunt omnes viri fortes manus suas. Propter increpationem tuam Deus Jacob soporatus est & currus & equus. Ibid. v. 12. succidet spiritum ducum, &c. Confer quæ in 2. part. sel. dissp. tit. de signis subtit. de terrore Panico notavimus.

DISPUTATIO

Continens

POSITIONES ALIQUOT

Miscellaneas

Resp. GERARDO van OS Heucklemenfi 24. Maji 1656.



Eligio Papislica non est salutaris; quippe idololatræ, S. 1. superstitioli, hæretica: syncrētismus itaque nostræ ecclésiæ cum Romanâ nullus iniri potest; nec hujus conventicula & exercitia, cum reliquiis, & mediis retinendi aut propagandi inter nos Antichristianismi, ut nec sacrificuli aliique emissarii, exploratores, satellites Antichristi in Republ. nostrâ tolerari debent. Quo ipso tamen nec nova quasi inquisitio introducitur, nec vis conscientii inferitur, nec libertati unitæ Belgarum Reipublicæ, atque adeo bello pro ea con-

tra Hispanum tam diu, tam fortiter, tam feliciter per Dei singularem benedictionem gesto, quidquam præjudicatur. *Vide disp. nostras, de Fide Papistarum, de sede Romanâ incompatibili, de Papæ potestate temporali & part. 1. polit. eccles. lib. 4. tract. 1.*

Consectar. Merito ergo ecclesię nostrę per synedria, classes, Synodos in hac, aliisque Belgii Provinciis à Christianis Magistratibus petere non desinunt, ut conscientię Dei, & muneri suo, quin & propriis decretis hac in parte satisfaciant: quidquid ringantur Pontificii, Remonstrantes, Libertini, Neutrales, &c.

- §. 2. *Hæresis Anti-trinitaria*, ad modulum sive *Samosateni*, sive *Photini* aut *Socini*, sive *Arrii*, sive *Eunomii*, sive *Francisci Davidis*, efformata, fundamentalem Christianorum fidem subvertit: ideoque nullus cum ea syncretismus ab ecclesiis nostris iniri potest; nec ea à Magistratu Christiano, cui potestas & potentia adest, tolerari debet. *Vide disp. de Trinitate, de articulis & erroribus fundamentalibus.*

Consectar. 1. Laudandæ ergo petitiones & præmonitiones ecclesiarum, ut & Magistratuum decreta contra blalphemæ & noxiæ hujus sectæ tolerantiam.

Consect. 2. Qui acta & decreta. *Illustr. DD. Ord. General. anno 1598.* & quorundam provincialium contra hæresin Socinianam ad permissionem publici exercitii tantum restringunt, quasi prædictæ hæresi libertas privato publici exercitii per dicta decreta non sit negata: contra scopum ecclesiarum petentium, & Magistratuum petitioni gratiosè annuentium, ac decernentium, ipsumque textum decretorum eadem interpretantur.

- §. 3. *Remonstrantica secta* & societas aut errorum & hæresi non colluvies est, aut neutra & inter omnes media tum per participationem tum per negationem, seu magis scepticam *ἡμερόν*. Affectatus aut admittendus (si fortuna foret) ejusdem cum Socinianis syncretismus in propatulo est: itaque nullus ab ecclesiis nostris syncretismus cum ea iniri potest; etiam rectè in Republica nostra per decretum *Illustr. & præpot. D. D. Ordd. General. 1619.* libertas & permissio eidem denegata; quod decretum jure meritoque *Illustr.* ac potentes Hollandiæ Ordines contra Sinonias quorundam artes ac machinationes, tanquam perpetuum edictum annis aliquot post declararunt, & declarationem hanc suam solenni more ac modo per civitates promulgari fecerunt; eamque, non obstante mutatione, quam per temporum injuriam & hic & alibi passi sunt, etiamnum urbes aliquæ (e. gr. Dordracena, & Leidensis) religiosè tuentur: ne dicam de provinciis & urbibus extra Hollandiam. Quomodo autem per solidam atque evidentem instructionem, & fortis caritatis persuasionem seducti & imbecilles à dictæ societatis

tis corruptelis abducendi, & ad nostram communionem adducendi, immo & ipsi sed sectatores ministri eorum ad reconciliationem salva fide & illęsa caritate admittendi sint, abunde ac prudenter declaratum in *Synodis Zuyt-Hollandicis* 1619. 1623. 1627. 1628. Quorum vestigiis ante triennium præter proper synedrium nostrum stricte institit; cum casus de traducendis ac recipiendis membris dictę societatis hic Ultrajecti proponeretur: & omnem opeam dedimus, ne vel minima specie tanquam independentes aut soli ipsi ex veteri more & perpetuo conatu, in hac nostra ecclesia quidquam statueremus. *Vide nostram catechizationem catechismi Remonstrantici, & Thersitem Hautontimorumenum, & dispp. Trinitate, de Articulis & erroribus fundamentalibus, de Methodo respondendi calumniis de Deo autore peccati & Polit. Eccles. part. 1. lib. 4. tract. 1.*

Consect. Merito ergo *Synodus Nationalis Dordracena* anno 1619. iudicium de Remonstrantismo & Vorstio tulit; & subseqentes synodi Provinciales iudicium illud suis Ecclesiis & rebus applicuerunt? insuper à Magistratibus petierunt, præsertim ab anno 1626. & deinceps, ut emergenti denuo huic sectę occurrerent; siquidem ecclesię & Reipubl. saluti consultum vellent: idque absque periculo aut imitatione (quod perpetuam ab adversariis pretendebatur) inquisitionis, persecutionis ecclesię, conscientiarum coactionis, tyrannidis.

Anabaptistica secta, ab incunabulis erronea à Reformatis iudicata, post ortam in Belgio factionem Remonstranticam, viamque Socinismo & Arianismo apertam, profecit in pejus; & talem formam in non paucis Doctoribus & auditoribus progressu temporis acquisivit, ut in Anabaptismo primogenium Anabaptismum difficulter agnoscas: fatentibus & querentibus ejusdem societatis consortibus, quorum melior sententia menti: qui idem variis locis omni communioni ecclesiasticę cum illis renunciantes, seorsim conventus & exercitia sua celebrare cœperunt, & pro veritatibus fundamentalibus de trinitate, Christi satisfactione, &c. cum universo Christianismo & voce & editis scriptis gravissimè protestari: quo nomine ipsi in domino laudando Deusque orandus, ut in cæteris ad perfectam verę religionis cognitionem & professionem eisdem gratiose adducat. Cum illa ergo uti antehac ecclesię nostrę syncretismum inire noluerunt, sic nos multo minus in præsentem eundem affectare aut admittere debemus: quidquid de caritate, pace, moderatione, unione dissecti Christianismi speciosè & in terminis generalibus, Remonstrantes, aliique ipsis hæc in parte similes, rhetoricentur.

Consect. Ut Ecclesiis nostris contra hanc sectam vigilare convenit; sic etiam piis Magistratibus eidem actionibusque ejus attendere, ne passivā

conniventia abutantur, male ex nobis trahendo. Stabilitam enim, concessam, promissam lege, pacto, decreto foederati Belgii aut unius provinciae permissionem aut libertatem, probare nequeunt. In quem finem coram Magistratibus suis confessionem ad proposita interrogata edere tenerentur: atque ita prudenter statui posset de conniventia mox abrumpenda aut non abrumpenda. Idem dico de hodiernis Remonstrantibus, qui multum mutati à Remonstrantibus anno 1611. ut quidem tunc prae se ferebant.

§.5. *Antinomos veteres & recentes*, qui in Germaniam tempore Lutheri & Melanthonis orti, & suppressi sunt, & nuper in Anglia caput extulerunt, omnesque alios usui legis, ejusque accuratae predicationi sub novo testamento juxta catechesin nostram (quaest. 115) directe aut indirecte, minus aut magis obloquentes, tanquam fanaticos (siquidem pertinaciter thesin suam defendant) ab omni Christianorum communione removendos censemus. Quod si quis à Cyclopismo, Epicureismo, & antiquis Gnosticorum furoribus se alienum ostendat, is operam det ut procul habita omni curiositate & inani vitiligatione, scripturariis & in schola Theologica receptis terminis utatur, & vel ab omni suspitione se immunem praestet. Vide supra *disp. de lege & Evangelio*.

§.6. *Enthusiastas, Libertinos*, alioque fanaticos antiquos ac recentiores, unico fidei principio, scripturae scilicet divinae, in totum aut ex parte renuntiantes, extra communem Christianismum saltare, & nomine Christiano indignos Judicamus. Vide *disp. de prophetia, & de probationibus spirituum*.

Consect. 1. Qui sibi in descriptione regni millenarii à nobis antehac refutata, aut in periculosis & recolis Libertinorum figmentis de scripturae autoritate, aut interpolata Socinianorum scripturas ex ratione humana tanquam superiori interpretandi ac torquendi methodo nimium indulgent; videant, ne tandem ad Socinismum, aut Scepticismum, aut alias fanaticas vertigines (quales *Ἰνυμνιστῆς* scilicet Herostrati Prae-Adamitici, & similium) prolabantur. Vide *disp. nostras de ratione humana in rebus fidei, de scripturae autoritate, de Insolubilibus scripturae, de Regno millenario*.

§.7. Formam regiminis & disciplinae in ecclesiis Belgicis, Gallicis, Scotticis, Germanicis quibusdam (praesertim Belgio nostro vicinis), contra oppositiones adversariorum defendemus. Sunt autem *ἀντιπαρὸς* ejus ab una parte Pontificii, Hierarchici, Remonstrantes cum Grotio hierarchiae tum politicae tum ecclesiasticae parasitantes & velificantes: ab altera parte, dicti Independentes, & hodierni sectatores Thomae Erasti. Vide in *Politica ecclesiastica materia & quaestiones explicatas, de ecclesia instituta, de potestate & politia ecclesiarum, de canonibus & decretis ecclesiasticis, de liturgiis*,

giis de Episcopatu, de classibus & synodis, de presbyteris gubernantibus, de clauibus regni Calorum.

Annexum 1. Perperam & olim & hodie nonnulli rerum alibi gestarum imperiti, Puritanos in Anglia & Scotia ita dictos, cum dictis Independantibus, & Brownistis confundunt: siquidem dicti illi Puritani audiebant & erant zelotæ disciplinæ Genevensis, & Gallicæ, (consequenter & nostræ Belgicæ), hoc est, presbyterialis; adhæc, puritatis & simplicitatis in ceremoniis, contra quasdam Papalium ceremoniarum reliquias. Quod ergo desiderabant reformati in Anglia (inter quos *Raynoldus, Wuttakerus, Perkinus, Cartwrightus*, &c. (quodque illis vovebant ac suadebant *Calvinus, Beza*, &c. hoc nostræ ecclesiæ in Belgio per Dei gratiam effecerunt & tenent usque in hunc diem. *Vide Dissp. nostras, Te Tempore natiuitatis Christi, & de Festis, & Polit. eccles. part. 1. lib. 2. tr. 1.*

Annexum 2. Non tam affectus erga dictas ceremonias Anglicanas, aut regimen episcopale; quam alia quæpiam & *21a* cuique *Antia Tilenum, Grotium, Greyinkhovium, Remonstrantes in apologiâ*, & si qui hodiè ipsos iritantur, ad orthodoxos nomine Puritanorum traducendos impulit.

Peccatum Adami nobis imputatum defendi debet, universo Christiano §.8. nismo consentiente: quem consensum summus theologus *Andr. Riverus* peculiari tractatu exhibuit, & post eum *Ant. Garissolius* professor Montalbanensis in tract. de imputatione primi peccati Adæ. *Vide diss. nostram de propagatione peccati originalis.*

Gratia universalis, quæ jactatur, merum est *συνδρομολογία*; nec ulla ratio §.9. cum sententia *Synodi Nationalis Dordracenæ*, hoc est, cum communi ecclesiarum reformatarum, conciliari potest. Ita ut hyperaspistæ ejus, distinctionibus in pulverem sectis, usque ad finem contra oppugnationes methodice eam defensuri, tandem ad adoptandas hypothesen, si non thesen, Remonstranticas aut ad indignas catachreses & novæ onomatopœiæ ac logomachix lusus cogendi sint. *Vide diss. nostras de merito Christi.*

Dei absolutam primitatem & simplicitatem, omnimodam infinitatem §.10. & immensitatem (quam Remonstrantes falsè ridentes atopicam atque atomicam appellant), absolutam potentiam, voluntatem immutabilem, certam futurorum secundum decretum præscientiam; contra Socinianos, Vorstium, Remonstrantes, Jesuitas, eorumque ex assè, aut besse, aut semisse sectatores, defendimus. *Vide diss. nostras de Dei simplicitate, de scientiâ, de potentia.*

Consectar. Periculosa sunt partim opiniones partim *ἀνυπολόγηται*, Deum à seipso positivè esse: Mundum esse infinitum: Absolutè esse impossibilem plurium mundorum, aut alterius mundi creationem.

Bruta sunt animata, & anima ac vitâ sua sensitivâ ab automatis, plantis lapidibus, metallis, aqua, terra, astris, cœlo distincta. Homo quisque una & propria sua anima rationali præditus est: quæ natura sua & intrinsecè immortalis ac incorruptibilis, à corpore separabilis & separata existens ac permanens est, & immediatè à Deo creata. *Vide diss. nostras de Creatione.*

1. *Confess.* Temerariæ aut otiosæ, aut malè sonantes ac theologiæ nostræ non satis feliciter servientes sunt assertiones, quibus Mundo anima intellectiva tribuitur; brutis anima & vita, actio & efficientia negatur; homini cuique tres animæ tribuuntur: immortalitas animæ humanæ, non per creationem naturæ ejus increata, sed per gratiam supervenientem cum Socino; aut per continuatam conservationem ei competere, aut posse dicitur: & cum origo ejus non creationi, sed traductioni aut derivationi ab anima parentum, tribuitur.

2. *Confess.* Malè sonat, si quis insolenter & ἀνυπολόγως dicat: Animas brutorum æque esse immortalitatis capaces ac hominum.

§. II. Vera libertas Christiana per Christum nobis parta non consistit.

1. In indifferentia & neutralitate, quod ad sensum, professionem, & praxin veræ religionis.

2. *Nec* in laxatione aut immunitate à lege morali, aut ullo ejus præcepto; ut scil. sub N. T. eâ aut eo non teneamur, tanquam regulâ & directione gratitudinis nostræ, & tanquam medio convincendi nos de peccato, indignitate, & impotentia nostra. (*Vide cateches. qu. 3. 86. 91. 115.*)

3. *Nec* in immunitate ab omni subjectione ad ordinem humanum (*Rom. 13. 1 Petr. 3. Ephes. 6.*)

4. *Nec* in libertate prophetandi, & sectarum; quam utramque Remonstrantes tantopere celebrârunt: Vide de libertate conscientiæ, & de libertate prophetandi. *Polit. eccles. part. 1. lib. 4. tr. 1.*

5. *Nec* in libertate, seu potius splendida servitute & necessitate de omnibus saltem philosophicis (quæ an totam theologiam naturalem cum lege naturæ, Ethica, Politica, Oeconomica, complectantur, nondum determinatum est) dubitandi: Dubitatio enim propriè dicta est defectus & malum sive triste sive turpe: jam vero nullum malum est appetendum. Quod autem tanquam regiam sapientiæ viam, nonnulli dubitationem affectandam putant, abusi gnomis illis, qui nihil dubitat nihil scit, & ἐν τῇ ἀπορίᾳ ἢ ἀπορίᾳ ᾤοντο, &c. tantundem faciunt ac si alicui suaderent peccata & miseriae ex illis gnomis: *Ubi abundat peccatum, abundat gratia: & ex malis moribus bona leges: Et, ubi nullum peccatum, ubi nullus respicientia locus, & consequenter nulla salus: Perissem nisi perissem: diligentibus Deum omnia operantur*

rantur in bonum : Vide 3. part. select. dissp. tit. de fide & conscientia dubitante.

6. Nec in libertate philolophandi ; hoc est in licentia rationem atque ordinem docentium & discentium in scholis ita turbandi ut adolescentes à labore ad otium proclives, otiosis deambulationibus, phantasticis & desultoriis speculationibus, propriis inventionibus (quasi sc. essent ἀνέρις ἀλφειῶν) breviter solitaris seu monasticis somniis indulgentes, & mente carnis suæ inflati ab assidua in cursu Academico bonorum autorum lectione, & auditione præceptorum ad regnum soli ipsorum, traducantur ; ibique dictatores agant, antequam philologiam, historiam, cum philosophiæ & artium fundamentis probè didicerint.

Annexum 1. Studiosi regnum Soli-ipsorum ἀνυπαδύχως affectantes ad solidam scientiam, præsertim rerum divinarum, rarissimè aut nunquam perveniunt : quippe quibus eventurum, quod ante annos aliquot venditationi & magnæ spei novorum ἀνιστόφων Hermeticorum seu fratrum rosee crucis, quæ in fumum abiit & evanuit. Aut enim in limine studii theologici hærebunt ; quin adminiculis necessariis destituuntur : aut vasto novæ quasi artis notoriæ hiatus delusos se sentientes, ad desperationem pari passu cum coævis methodicè studentibus currendi adiguntur : aut ignorantiarum, dubitationum atque ἐρίγγων suarum vorticibus absorpti, à studio reformatæ theologiæ, quippe cum illis ἀσυστάτως, resiliunt ; quin & eandem cum fidis ipsius cultoribus hostiliter insectabuntur : imprimis si novè & infeliciter philosophantem hanc theologiam, & ipsos propter eandem, omnibus aliis in promotione non præferri contigerit.

Annexum 2. Typhus Soli-ipsorum, qui ad exemplum Papatus, omniumque antiquorum & recentium novatorum, satellitio sparsarum fabularum, calumniarum, cavillationum & similium tum realium tum imprimis personalium præjudiciorum, pugnare satagit ; strictè controversorum principalium scholasticæ & acroamaticæ disceptationis, sepositis tantisper personalibus, & ἀπεροδιούσις digressionibus atque abductionibus, alligandus est.

Annexum 3. Non vanè metuendum est, ne Scholis à Soli-ipsorum contentione vastitas & barbaries impendeat : nisi maturè remedium adhibeatur. Si enim studia utriusque literaturæ, oratoriæ & eloquentiæ, poësis, antiquitatum & historiarum, philologiæ orientalis, logicæ, metaphysicæ, Ethicæ, Politicæ tepescant ; si præstantissimi autores tum recentes tum imprimis antiqui non legantur, sed omnes ferociter contemnantur, dum phrasibus, stylis, termini eorum non intelliguntur, non discuntur, nedum ut quis criticam circa ea exerceat ; quid aliud restabit, nisi fracta imaginariæ philosophiæ

sophiæ testa, & inane mentis cymbalum non nisi teretismata tinniens?

Annexum 4. Præsumtus conatus studii physici, qui cum aliquâ parte matheseos proximè illi inservientis, Soli-ipsis vindicari videtur, Academias ab impendente vastitate & barbariè, studiosos ab ἀγρία aut περίρρις ac παρέρρις, & consequenter ab ineptitudine ad studia facultatum liberare nequit. Ut facultati nostræ applicem (relictâ Juridicæ & Medicæ suâ cuique applicatione), dico hunc conatum in spongiâ incubiturum, & in incunabulis suffocandum. Quia à paucis theologiæ studiosis mathesis perdiscitur; à pluribus etiam Soli-ipsorum monarchiam crepantibus, ne quidem attingitur; à nullis longissima & sumptuosissima tum imperatæ dubitationis, tum propriæ in physicis, astronomicis, musicis & sonis, mechanicis & staticis, acquirendæ experienciæ invia via calcatur, nec in cursu Academico calcari potest aut debet, donec scilicet ad claram & distinctam omnium per certa principia cognitionem deveniatur.

Annexum 5. Expectent ergo, si qui ex theologiæ studiosis Soli-ipsorum sapientiam admirantur, donec Attalicis Regum & principum opibus Dictatores hujus regni Soli-ipsi adjuti, ex requisita experientia erueriat nobis non aliquam possibilem & hypotheticè imaginariam effectuum ex causis perspicuam explicationem ac certam demonstrationem; sed realem, ut de facto omnia in rerum natura se habent, ac constituta sunt: ita ut se aliter habere non possint. Nam πανσπουδαι in solâ possibilium explicatione & certa demonstratione velle constituere, non video quam longè distet à Scepticismo & πῶς, *Nihil scitur*, quod libello aliquo celebratum dicitur: aut quomodo non ad mundum phantasticum, regnum & mundum in lunâ, *Thomæ Mori Utopiam*, Terram Australem incognitam, & similes ingenii lusus ac mythologica philosophemata inclinet. Et sic totius terræ morio, aut numeratio arenæ quæsitâ, commonstrabitur possibilis, ex sumtis hypothesebus Archimedeis. Atqui quærebat de eo quod actu sit, non quod ex hypothesi possit esse: Jam vero à posse ad esse non valet consequentia.

§.13 Non omne est philosophicum quicquid eo nomine palliatur, aut à philosopho quo agitur. Ita Remonstrantes, cum circa trinitatem, Dei simplicitatem & immensitatem, resurrectionem ejusdem carnis, &c. suæ libertati prophetandi nimium indulserunt, os suum abstergere & theologis omnibus obstruere se putant, si modo pulveris exigui jactum de subtilitate, speculatione, controversia metaphysica, scholastica, philosophica interponant. Multa sunt quæ suo modo & theologus tractat, & philosophus: multa sunt quæ quamvis formaliter & adæquatè non sint theologica, theologiæ tamen & scripturæ defensionem atque explicationem proximè aut sal-

tem

tem propinquè ancillantur. Limites illos discernendos aut herciscundos huic aut illi soli ipsi aut philosopho in herba, nec ecclesiæ, nec Reip. commiserunt, exclusis omnibus Christiani aut reformati orbis theologis ac philosophis.

Consectar. 1. Pertinet ergo ad theologos falsò dictæ sapientiæ, philosophiæ & inanis deceptionis detectio ac refutatio, 1 *Timoth. 1. 4-7. & 6. v. 20. Coloss. 2. v. 8.* Nec ipsi hac ratione tanquam ardeliones, aut ἀλγοτζίπικροποι, falcem in alienam messem mittunt, nec omnes facultates in Academiis subigere, iisque propriam potestatem ac libertatem eripere conantur: unde solita omnibus ecclesiarum turbonibus calumniosâ consequentiâ colligunt, idem jugum à theologorum tyrannide Principibus & Magistratibus imponendum. Mentire & calumniare audacter: semper hærebit aliquid. Theologi Deo hanc vindictam tradent, qui Satanam increpabit, & furores ejus compescet, ubi ipsi visum fuerit.

Consectar. 2. Non tangi theologos, nec tangi theologiam à philosophematis nonnullis, nemo credet, nisi qui decipi voluerit, aut odio in ordinem theologorum, aut in communem reformatotum orthodoxiam, excœcatus fuerit. Sunt autem philosophemata à pauculis quibusdam philosophis imperium (uti videtur) absque Senatus & populi suffragiis in theologos affectantibus hæc sequentia:

Ex sola Dei revelatione, seu ex verbo Dei, posse haberi certam rei alicujus scientiam: eo quod sensus, & intellectus hominis errare & decipi queant.

Quaritur ergo: quomodo theologiam naturalem contra Atheos, Epicureos, Scepticos, Socinum defensori sint theologi? Ut jam nihil dicam de philosophis; quibus dignitatem scientiæ suæ defendendam relinquo.

Spiritum Sanctum in scripturis loqui subinde secundum erroneam hominum opinionem: aut dicere atque enuntiare subinde quedam, ubi tamen docere & asserere in partem affirmantem, aut negantem non intendit.

Quaritur, quomodo theologi auctoritatem scripturæ contra atheos, infideles, Enthusiastas, Socinum, Castellionem, Herostratum Præ-Adamiticum solide defensori sint.

Esse Deum, hæctenus nec à philosophis cujuscunque religionis, nec à theologis antiquis seu patribus, nec scholasticis, nec reformatis, nec à scriptoribus de veritate fidei, solide certò evidenter fuisse probatum.

Quaritur: Quid ergo fiet causæ fidei hæctenus à Christianis scriptoribus contra Atheos defensæ? Quid antiquis patribus, & novis scriptoribus, Thoma contra Gentes, Savonorolæ, Steucho Eugubino, Ficino, Viri, Plesseo, Grotio? Quid ipsi scripturæ, quæ methodum demonstrandi ab effectis ad causam, præeunte sensuum notitia, exserte nos docuit Rom. 1. Psal. 19. Jes. 40. Act. 14. & 17.

Caput 1. Genes. aliter explicandum, ac theologi Christiani communiter explicant: Exemplum cape in uno hoc; de solis Creatione non quarto, sed primo die.

Queritur: An manus sint dandæ Simplicio Gentili philosopho; quem magnus theologus Franc. Junius in protokisiis suis appellat antinomum, & refutat?

Non posse aut potuisse per Dei absolutam potentiam plures mundos creari, & mundum hunc esse infinitum.

Queritur: Quomodo theologi defensuri sint Dei propriam esse infinitatem & immensitatem; & Dei omnipotentiam non esse exhaustam.

Deo, Angelis & animæ humanae extensionem competere.

Queritur: An accuratius ex hac hypothese refutentur Vostiana phantasmata de Dei quantitate, compositione, accidentibus?

Terram moveri, solem quiescere.

Queritur, quid futurum sit, textibus scripturæ hæcenus à theologis non tantum, sed & Christianis physicis atque astronomis (quorum aliquos alibi indicamus) in contrariam sententiam acceptis?

Anima humana reali distinctione à corpore rite probata, radicitus evelli & ex imis fundamentis subruì omnem Scepticismum & Atheismum?

Queritur an distinctio nasci ab oculo, corporis humani à quantitate aut figura sua, & accidentis cujuslibet à suo subjecto probata, illius immortalitatem & naturam in se incorruptibilem contra atheos demonstret? Et an ante jactatam hanc novam demonstrationem contra Atheos, Christianæ fidei veritas contra Atheos, Epicureos, infideles triumphare nequiverit?

Animam humanam esse cogitationem, & constitui per cogitationem, aut in solâ cogitatione consistere, eandemque per naturam rerum posse esse vel substantiam, vel substantiæ corporeæ modum.

Queritur, An hac ratione optimè refutetur Galenus, qui animam facit *ἡμέτερον* seu temperamentum, hoc est, purum modum, aut accidens corporis? Et si Athei hinc colligerent esse actionem transeuntem, seu motum, aut potius novam solummodo motus determinationem, an & quomodo ex dicta hypothese solidè astrui possit immortalis ejus substantia; & Athei refutari? An quidquam pro animæ immortalitate contra Atheos, & infideles scripturæ auctoritatem negantes à Christianis dici possit aut debeat?

Animam humanam esse tantum in glandulâ pineali.

Queritur, An in glandula pineali tota sit animæ substantia, & tota in qualibet parte? Si non, an sit in minima glandulæ particula, denique

que in atomo ejusdem? Et an hac ratione optimè contra Vorstium & Socinianos explicari ac defendi possit Dei indivisibilis immensa assentia?

Hominem quemque habere liberum arbitrium ad bonum.

Queritur, an hac philosophiâ ancillante necessitas & efficacia gratiæ contra antiquos & novos Pelagianos feliciter defendi possit.

Certissimè illud esse verum quidquid clare & distinctè percipio.

Queritur, si hoc non sit ad ἀδολογίας & lusum nominalem relegandum; an enuntiationum quarumcunque clara & distincta perceptio, aut fundet aut infallibiliter signet, certissimam veritatem?

De omnibus esse dubitandum, ut ad veram sapientiam perveniamus.

Queritur, Si hæc non sit ἀδολογία nominalis, terminorum ignorantia aut abusus; an etiam dubitandum sit de rebus fidei? an vero tantum de omnibus iis quæ pertinent ad theologiam naturalem; aut ad legem naturæ & communem honestatem? aut ad rerum naturam, e. gr. an sint cœli, sydera, mare, terra, arbores, nox, dies, æstas, hyems, &c.

Bruta omni sensu, seu animâ ac vitâ sensitiva carere: & bovem ligneum seu automaticum non differre specie à bove vivente.

Queritur: quid ergo fiet textibus scripturæ, qui spiritum vitæ, cognitionem, expirationem ac mortem brutis tribuunt?

Nullas esse notiones innatas, & γενεῖς ἐννοίας.

Queritur: quid ergo fiet illis, quæ theologi contra Atheos, & Socinum pro theologia naturali, pro lege naturæ, pro conscientia naturali hætenus congesserunt.

Hominem esse ens per accidens.

Queritur: An hac ratione optimè & tutissimè explicari ac contra infideles & atheos defendi possit unio hypostatica in Christo?

Hominem constare, ex mente & ex animâ & corpore, quæ duo posteriora constituent animal humanum.

Queritur: An hoc dicto melius explicari & defendi possint theologica capita de creatione hominis ad imaginem Dei, de libero arbitrio & statu peccati, de regeneratione, de personâ Christi, de statu animæ separatæ?

Mundum animâ intellectivâ præditum?

Queritur: An & quantum hæc opinio distet à Platonicâ? Et an theologia de creatione, de Dei Providentia, de fine mundi, &c. hac ratione tutius & facilius explicari, ac defendi possit, quam hætenus à theologis factum.

Quantitatis aliquam esse efficaciam.

Queritur: An hac ratione juventur theologi & philosophi Christi-

fiani in superstitionibus, vanis observantiis, & arte Magica refutanda?

Opliatrîam seu unguentum armarium esse licitum?

Queritur: Quid futurum sit decreto Synodi Roterodamensis anno 1595.? Quid torrenti Doctorum tum theologorum tum philosophorum in toto Christianismo? Quomodo occurrendum scandalo, quod apud Pontificios contra nostras ecclesias & Academias ob hæc & similia ab aliquo reformato dogmatizata, excitatur. Vide 3. part. select. Dissp. tit. de Magiâ.

Principium iusti & honesti esse conservationem & defensionem sui ipsius?

Queritur: An principium & norma honesti sit aut non sit voluntas Dei naturaliter & supernaturaliter revelata, & quidem sub forma mandati?

Choreas, sortes ludicras, seu lusum chartarum, ludos scenicos, esse licita?

Queritur: An hac ratione rectè defendi possint, antiquarum & nostrarum synodorum decreta, ut & consensus nostrorum theologorum; & consequenter studiosi ad studium theologiæ practicæ ac concionatoriæ feliciter à sic philosophantibus præparari? Vide supra diss. de Excelsis Mundi.

Unionem aut syncretismum posse iniri cum Remonstrantibus? seu quinquarticulos ad communionem nostram recipi posse?

Queritur: An & quâ ratione ecclesiasticarum experientia præsumtus quis Speculator tam facile difficillimum hunc casum determinare poterit; circa quem tam anxie & laboriosè occupatæ fuerunt tum classes & synodi (anno 1619. 1627. 1628.) tum ipsa panegyris Ill. Ordd Hollandiæ?

Logicam scientiam & praxin nullius, aut parvi faciendam.

Queritur: Quid ergo iudicandum de theologicis in scripturam commentationibus, locis communibus, scriptis elencticis hæctenus, præsertim jam à tempore reformationis, editis? Quomodo studiosi hac opinione imbuti ea cum iudicio legent & intelligent?

His & similibus dum studiosi, præsertim theologorum speciali inspectione & institutioni commissi, certatim ad orthodoxam theologiam & veram pietatem (scilicet) præparantur; nefas erit theologis contra hîscere: nisi susurris, dictæis, satyris, libellis famosis exagitari, omniumque odiis obijci velint; uti hoc factum, & etiamnum fieri, experientia clamat.

Annexum 1. Theologi, cum tali in casu muneri imposito & conscientiæ suæ satisfaciunt, nec petulantiam unius atque alterius heteroclitici capitis in pernitiem studii theologici grassari sinunt; nullum dominatum episcopalem aut Papalem in Academiis, aut Ecclesiis, multo minus in Rempubli.

blicam affectant; sed potius ne Diotrephes quis per αἰμίτις aut corruptam ancillam in theologiâ, Academiâ, ecclesiâ, primatus sui tyrannidem erigat aut stabiliat, pro viribus impediunt.

Annexum 2. Idem nec in verba Aristotelis jurant, nec alios directè aut indirectè ad hoc inducunt, nedum ut compellere studeant: Nec quisquam soli-ipsorum in æternum probabit in hac nostra, aut ullâ Academia reformata Theologos reperiri, qui absque ratione, nedum contra rationem, propter solam auctoritatem Aristotelis, non dicam integra systemata scientiarum, sed vel unam thesin, aut hypothesin, aut axioma, aut objectionis solutionem, aut probationem recipiat ac tueatur. Mercurium non tam in pedibus quam in lingua habent, qui Academias reformatas & doctores earum hac in parte traducunt.

Object. Atqui præscribi solet in Academiis & scholis illustribus, aut etiamnum præscribitur. Ut Aristotelis logica, aut physica, aut Ethica aut politica, &c. explicetur. *Resp.* Sit ita: *Euclidis elementa*, *Rami Geometria*, *Theorica planetarum Purbachii*, *Geographia Ptolomei*, *Plinii liber. 2.*, *Timæus Locrus de animo mundi*, *Cleomedis meteora*, *Sphæra Sacrobosci*, *Galenii varii tractatus*, *Hippocratis aphorismi*, *Institutiones juris*, *Loci communes Melanthonis* aut *Calvini institutiones*, *Compendia Logica*, *Metaphysica*, *Ethica*, *Politica*, recentiorum quorumvis authorum ex.gr. *Melanthonis*, *Molinei*, *Burgerdicii*, *Besoldi*, *Senguerdii*, & complurium aliorum autorum in Academiis & Scholis alicubi publicè privatimve proponuntur. Dicam amplius, catechesis nostra ubique in Scholis & Ecclesiis proponitur. An inde calumniose inferent cum Remonstrantibus, nos Catechesin æquiparare, immo præferre ipsi scripturæ.

Annexum 3. Communis reformatarum scholarum philosophia, Christianæ fidei accommodata & ancillans, Peripatetica dicitur; non quod ad particulares omnes opiniones, sed quod ad bonam immo & potiore partem; hoc est, quod ad methodum docendi, & quod ad generalia principia ac præcipua luminis naturalis & rectæ rationis axiomata ductu universalis experientiæ, per tot sæculorum observationes, & ventilationes trita, recepta, & studiis discientium ac docentium accommodata. Quæ ita interpolata, æque aut magis philosophia Christiana, quam Peripatetica dici posset.

Annexum 4. Qui absque hac philosophia probè percepta ad solidam eruditionem theologicam, & quorumvis theologorum (patrum, scholasticorum, recentiorum, adde & quorumvis hæreticorum ac fanaticorum) intelligentiam, collationem, examen, fideique Christianæ contra adversarios quoscumque defensionem, se idoneum fore putat, Icarum ac Phaë-

tontem imitatur. Hæc ego anno 1656., de infelicibus quibusdam, periculosis & malè sonantibus philosophematis studio sacro parum convenientibus studiosos theologiæ monebam. Sed plura post illud tempus eruperunt & detecta sunt : de quibus theologi jam monere cœperunt.

§.14 Vocatio & electio ministrorum ecclesiastica est ; eique repugnat vulgò jactatum jus patronatus. Quod perperam ex additamento anno 1619. in *Synodo Dordracena* canonibus regiminis ecclesiastici defensum eunt. Cum ex historia constet illud additamentum à synodalibus non propositum, nec inventum, nec probatum, nec adjectum ; sed à provinciæ unius atque, alterius delegatis politicis, synodales plerique à se quamvis invitis & frustra obnitentibus *ἡτοιμασέναι* hoc debere tolerari judicarunt ; siquidem communi omnium provinciarum autoritate ordinem suum ecclesiasticum comprobatum ac munitum vellent. Sed hæc colerantia ac *συγκαταβασίς* eos longè tefellit. Idem evenit *Synodo Nationali Hagecomitana* an. 1586., quæ ob turbas & dissensiones Leycestrianas, ex necessitate & eadem intentione ac spe Constitutionibus suis adjici passa est artic. 34. sessionem delegatorum Magistratus in quovis conventu synedrii. Unde inique & imperitè nonnulli inferunt jus ecclesiasticum ab ipsa ecclesia ad meliorem ædificationem constitutum. Nihil minus. Vide hæc abundè explicata in 1. *part. polit. eccles. lib. 1. tr. 2. & part. 2. lib. 3.* Longè alii sunt canones & decreta, continentia materiam conceptam in pectore ecclesiæ, convenienter verbo Dei ad meliorem ædificationem per se & positivè facientem, quam ecclesia ex proprio sinu volens, libens depromit, proponit, urget. Qualia ex. gr. de habendis Synodis, Classibus, Synedriis ; de visitationibus ecclesiarum & visitatoribus ; de senioribus gubernantibus, eorumque potestate ac munere ; de ecclesiasticâ electione ministrorum per synedrium ; de legitimâ translatione ministrorum ad alias ecclesias ; de curâ ministrorum emeritorum ; de correspondentia ecclesiarum Wallonici & Belgici idiomatis in una urbe ; de subscriptione formularum doctrinæ, à ministris & ludî magistris exigendâ ; de non admittendis ad cœnam domini absque edita fidei confessione, & vitæ probatione per testimonia ; de æquali potestate ecclesiarum & ministrorum ; de transitu membrorum ab ecclesia ad ecclesiam non sine scripto testimonio ; de disciplina ecclesiastica & excommunicatione. His & similibus canonibus accedant decreta Synodorum de catéchizatione, ut *Dordracena* anno 1619. *Sess. 17.* De exauthoratione & reconciliatione ministrorum Remonstrantium. *Ibid. sess. 138.* collatum cum decreto *Synodi Holland. Brielanæ* anno 1623. Adde quamplurima & iterata Provincialium Synodorum decreta de emendandis Sabbathi profanationibus, aliisque clam antibus peccatis ; de impedienda & sistenda Papismi, Remonstrantismi,

tissimi Anabaptismi propogatione; de prævenienda Socinismi irruptione, de modo admittendi membra Remonstrantica, de tollendis & expurgandis etiam minimarum superstitionum reliquiis, ex templis, compitis, à sepultura mortuorum, &c.; de arcendo fœnore publico, seu eo non tolerando; imprimis de manifestis fœneratoribus (quos trapezitas appellant) ad communionem non admittendis; de emendando luxu in vestium & capillorum ornatu, de arcendis choreis, comœdiis, sortibus ludicris; de facta tecta conservanda potestate ecclesiastica, præsertim in electione ministrorum, contra patronorum, toparcharum, Magistratum (inter quos non raro à religione alieni) usurpationem. Pro his & similibus canonibus ac decretis, quæ *motus proprios* appellare possumus, ex corde ipsius ecclesiæ profectis zelare nos convenit, talia urgere, & rationes theologicas contra ignavos, tepidos, *amantes*, novaturientes, Soli-ipsos, allegare. Sed aliter statuendum de assumento de jure patronatus, & de permissione sessionis in synedrio, & si quæ his similia; quæ à nullo theologo decorè allegari, multo minus urgeri debet, minimè omnium ecclesiæ alicui invitæ prætextâ autoritate Synodi Nationalis imponi; ita ut nefas illi esset libertate suâ hic uti, aut quidquam pro eâ dicere ac tentare, & quidem ad meliorem ædificationem; nisi universalis omnium ecclesiarum Belgicarum in Synodo Nationali congregatarum per formalem revocationem, aut expunctionem, contrariamque sanctionem liberatio & manumissio à duplici hoc jugo seu onere precessisset. Nec valet hic regula, per quam potestatem & formalitatem quid constitutum est, per eam tantum abrogari aut mutari debet. Quia hæc à Synodis citatis nec inventa, nec consultata, nec suggesta sunt, ne quidem sponte admissa; nedum ut ex mandatis aut postulatis classium, synodorum provincialium talia tractare & determinare debuerint: solummodo tolerata, cum tollere non possent à vi majori imposita, ad majora mala vitanda, & bonum approbati ac confirmati communis ordinis ecclesiastici, ab omnibus Belgii provinciis obtinendum. Si quæ ergo ecclesia particularis hæctenus immunis fuit ab his aliisque per potentes, aut per violentam consuetudinem, impositis, aut si quæ subjugis liberationem & libertatem suam quibusvis legitimis mediis molitur: illi hoc fraudi esse non debet, nec ea à vicinis ecclesiis ad defectum hunc retrahi, & vel ad momentum in eo retineri debet. Idem dicimus de correspondentia in vocatione ministrorum, cujus ibidem meminit *ordo ecclesiasticus* anno 1619. *artic. 4.* quæ in præjudicium liberæ electionis instar nasi cerei passim ad quidvis flectitur. Et hanc distinctionem inter canones seu eorum partes; decreta, consilia, & conatus synodorum provincialium, classium, synedriorum abundè nos docuerunt. Quid contra jus patro-

natus tentatum sit, statim post *Synodum Nationalem* anno 1619. in *synodo Holland. Leidenſi*, diſce ex actis, & egregia remonſtrantia, Ill. & præpot. *Hollandiæ* Ordinibus tunc exhibita. Ut ſequentes *Hollandicas*, aliarumque provinciarum *Synodos*, *Classes*, eccleſias nunc præteream, quæ quæcunque occaſionem aut captare aut obſervare non deſinunt. Mitto referre, quid contra ſeſſionem alicubi actum, & quâ curâ eandem poſt habeant aut declinent omnes propemodum eccleſiæ, pauciſſimis exceptis. Hæc omnia ſtatuta & decreta ſub diſtinctione allatâ, ex mente eccleſiarum noſtrarum, à theologiſ defendenda, & filiis prophetarum in ſcholis inculcanda: quod ſi ſeriò, fideliter, ſedulo agunt, utique immunitatem à calumniis, inſectationibus, & diffamationibus promereri videntur.

§. 15 De Sabbathi ſanctificatione variant aliquot reſormatorum theologorum ſententiæ. Communis, aut ſaltem communior, ſententia eſt, designationem unius Dei ex ſeptem, eſſe juris divini moraliſ, ſic *Beza*, *Fr. Junius*, *Piſcator*, *Paræus*, *Kuchlinus*, *Perkinſus*, *Wittakerus*, *Deodatus*, *Fellus Hommius* in tabulis catecheticiſ, &c. alii aliqui ſentiunt partitionem iſtam libertati atque arbitrio tum eccleſiaſtico tum politico, in N. T. reſervari: quales fere ſunt aut eſſe videntur *Calvinus*, *Danaus*, *Urſinus*, *Rivetus*, &c. Pontificii eccleſiæ ſuæ omnium feſtorum & temporum determinationem tribuunt, & conſcientias determinationi illi ſubjiciunt. Nos cum primis ſentimus, eſſe partitionem illam *ἡγεμονία* & juris divini; & ſic optimè argumentum Socinianum pro mutatione legis per Chriſtum novum legiſlatorem ſubmoveri cenſemus. Quod ad diem primum hebdomadiſ, quem dominicum vocamus, an ille ex circulo hebdomadali à Chriſto immediatè, aut ab Apoſtolorum ſive doctrina ſive praxi & exemplo in N. T. ſit designatus, & conſequenter an ſit juris divini immutabilis; an vero liberæ & temporariæ obſervationis Apoſtolice, quæ omnes eccleſias ſemper & ubique non obſtringeret, quæritur. Ego ut verum fatear, in hac controverſia vix alicui contradicerem, ſi modo partitionem ex 4. decalogi præcepto admittat, & ſabbathum Chriſtianum à primo die hebdomadiſ in alium transferendum, non contendat: nec tamen video orthodoxiæ, aut praxi pietatiſ quidquam præjudicari, ſi inclinem in partem priorem. Imprimis autem, quæcunque ſententiam quis elegerit, omnibus nobiſ de praxi ſabbathi laborandum cenſeo; ut omnes à profanationibus abducti exercitiis pietatiſ occupentur. De quibus exercitiis, & tota praxi, oppoſitiſque profanationibus conſulendi *Kuchlinus* & *F. Hommius* loc. cit. & decreta *Synodi Nationaliſ Dordraceniſ* in poſt-actiſ, aliaque quamplurima *Synodorum Provincialium*. Inſinitas curioſulas, ſæpe ineptas quæſtionēſ hic præteritur; quibus ſimpliciores magiſ confunduntur, quam ædificantur. Quiſque potius conſcientiæ ſuæ, prudentiæ; & caritati Chriſtianæ
atten-

attendat, quum otiosis quæstiunculis indulgeat, ad piam diei dominicæ observationem ac praxim excutiendam, aut laxandam comparatis. Vide 3. part. *sel. diss. tit. de sabbatho & festis.*

De definito tempore administrationis Coenæ Dominicæ nihil in scriptu §. 16
râ definitum est: nihil ergo libertati ecclesiarum præscribendum. Pontificii festo (uti vocant) paschali allegarant: hinc factum, ut idem tempus à reformatis Ecclesiis quibusdam retineretur, sed tamen liberè; idque ut neophytis & infirmis, qui tempori illi assueverant, sese accommodarent, exemplo Pauli. 1 Cor. 9. v. 20. - 24. Aliæ tamen Ecclesiæ, etiam in Belgio nostro, nec illo, nec aliis dictis festis administrant. Ita ut planè adiaphorum hoc semper habitum sit: nec quisquam in hac aut illa temporis partitione & designatione mysticum quid quæsierit. Constitutione nostræ Ecclesiasticæ anni 1581. secundo quoque mense, si quidem fieri possit, coenam celebrari volunt: Anno 1586. additum est futurum ad ædificationem ut fiat diebus Paschæ, pentecostes, nativitatis, ubi ratio & constitutio Ecclesiarum ita fert. Hoc consilio nullæ Ecclesiæ se tanquam lege obligari putarunt. Sunt enim multæ, forte pleræque, quæ quater quotannis, paucæ, quæ die pentecostes, multæ, quæ nec die Paschæ, nec nativitatis celebrant. Nostra Ecclesia Ultrajectina ante quadriennium præter propter (hoc ita scribebam anno 1656.) quaternas vices antea inæqualiter divisas per trimestres exactè divisit: & primum diem dominicum tertii cujusque mensis designavit: quo factum, cum in diem nativitatis coenæ distributio non incideret, illum diem abrogatum, & consequenter ipsum Christianismum imperiti & malevoli nonnulli blaterarent: cum de priori in synedrio nostro deliberatum non esset, multò minus conclusum. Fabulam illam propagabant in vicinis civitatibus nonnulli ex emissariis sacrificulis: de quo perepistolam amici tunc certior factus sum. Paulo post ille strepitus cessavit, usque ad annum præcedentem: quo de novo à nescio quibus susurronibus concitatus est; & futile hoc mendacium futiliori accusatione coloratum, quod Ecclesia nostra incurrisset in constitutiones Ecclesiasticas, quæ coenam dominicam diei scil. nativitatis affigunt. *Θεὸς & ἀθεοδολίαι & ἀδελειχίαι!* Quid sit de catachresticè dictis festis (ut rectè judicat *Piscator in Galat. 4.*) quomodo Ecclesiam nostram Belgicæ propter auctoritatem Magistratus volentes nolente animo dies illos retinere debuerint, eosque ideo hominum ignavum otium avertendum in conciones impendi consultum duxerint, ante annos complures satis superque declaravimus in *diss. de tempore nativitatis Christi, & de sabbatho & festis.* Conferant, *Φαρισαϊκὴν constitutiones Ecclesiasticas Dordrac. 1575. & 1578. cum constit. Middelburg. 1581. & Hage-Comit. 1586.* Et ex Antagonistas Pontificiorum, *Calvinum in Institut. & in Epistolis*, aliosque alibi à nobis

nobis cit. Hoc in disquisitionibus de observatione istorum dierum prudenter cavendum, ne Ecclesiis nostris Belgicis in prima sua caritate & optimè constitutis, Gallicis præterea, Scoticis, Genevensi, &c. aut præstantissimis theologis reformatis, quidquam præjudicemus, & pontificiis erroribus non satis validè resistamus.



Syllabum istarum questionum, quo in privatis collegiis decalogicis, aliquoties usus sum: hic in gratiam studiosorum, aliorumque φιλομαθῶν exhibeo.